AD CLEMENTEM VIII. PONTIFICEM OPT. MAX.


Et rerum gestarum gloria florentissimum.

PHILIBERTI BELCREDII,
ipsius Summi Pontificis V.S. Referendarij,

Et Academici Humilis Affidati de recuperata Ferraria

ORATIO.





TICINI,

Ex Typographia Andreæ Viani. MDIC.

Permissu Superiorum.

PRÆSTANTISSIMÆ, AC CELEBERRIMAE AFFIDATORVM ACADEMIÆ TICINENSI.



ANDREAS VIANVS S. P. D.



IX iam nescio quid rumoris de hac Oratione afflatum erat, cùm eam non pauci expectarent: peterēt etiam multi: arderent ferè omnes eius desiderio. Nam si qui sunt, qui multi sunt, quos non minus eloquentiæ fames, quàm BELCREDII fama excitat, ij facile intelligunt omnes, quàm commodè ex sapientissimis eius scriptis præsidia artis, ingenij, & vbertatis haurire possunt. Quòd autem nihil, in omni genere scientiarum, neq; optabilius, neque fructuosum sit magis, quàm sapientiæ cōsors eloquentia, docuit aliquādo Carneades Cyrenęus, qui tantum dicendo præstitit, vt nullam vnquam causam, aut susceperit, quam non sustinuit, aut oppugnarit, quam non euertit. Quare orationem hanc qui regustarunt, nihil sunt veriti, quia omni rerum varietate est referta, & mira verborum iucunditate aspersa, procurare, vt illa, auctore etiam inconsulto, foras prodiret. Quid si, inquiet fortè aliquis, mentis eius alienus

sit sensus? dicam, & dicam apertè. toleranda est culpa, quæ in modica offensione, cum publica coniuncta est vtilitate. Adductus igitur primùm alieno consilio, quo multos respirare posse videbam: deinde meo confirmatus, ne longius laceraret me angor eorum, qui orationem hanc a me exigere, non petere videbantur, volui illam in apertum extrudere, quid inquam in apertum extrudere? imò vobis vniuersis, nobilissimi Academici, consacrare, qui iure optimo iam gloriamini, tot, tamque ingentes ex hac vestra celeberrima Academia, tanquam sapientiæ officina, Belcredij virtutes passim esse proseminatas, vt earum gloria vix Italiæ claustris teneri possit inclusa. Valete.

ORATIO.

AGNVM est nomen tuum in vniuersa terra, magna ac celebris tua in toto terrarum orbe fama existit, Beatissime Pater, quam cum Pontificia dignitatis amplitudo, omnium, quæ sub cœlo sunt, praestantissimae, atque Deo proximae; tum singularia multa, ac diuina a tua Sanctitate edita facinora pepererunt: maximè verò illud, quo Ferrariam, nobilissimam Italiae Urbem, Romani Imperij finibus non ita pridem cum incredibili bonorum omnium gaudio felicissimè adiecisti. quod ego inter cetera summopere admiratus, adhibita in consilium ratione, sic demum mihi statuendum esse iudicaui, nihil me ab eximij Oratoris munere alienum facturum esse, si id coram tua Sanctitate, hoc est, viro omni virtutum, ac scientiarum laude cumulatissimo, & in conspectu tot, ac tantorum, qui sapientissimi sunt, purpuratorum Patrum dicendo celebrare cunctis animi viribus, totoque impetu eniterer. Siquidem hoc fiet, breui vt mea oratione, quam magnam, ac grauem subiecti argumenti dignitas, atque praestantia reddet, & ad quam habendam maxima tum

tua, tum horum omnium amplißimorum Cardinalium, ceterorumq́, qui huc ad me audiendum conuenerunt, humanitate, atq́ attentione non mediocriter incitor, tua Beatitudo immortales, ac diuinas suas laudes, easque non fucatas, atque adulterinas, sed veras atq́ germanas recognoscens ad similia, vel etiam ad maiora (si quid maius fieri potest, quàm sanctißimam sedem Apostolicam tanta accesßione locupletando ornare) vehementius inflammetur, & ego summam meam, ac prope incredibilem erga te obseruantiam apud omnes, vt debeo, testatam apertißimè, atq́ in perpetuum relinquam. Vnde igitur exodiar, cum huiusce orationis principium, nedum exitum inuenire difficile sit? nam quocunque me verto, Beatißime Pater, præstantißimarum rerum obruor multitudine, quæ singulæ me ad se rapiunt, atque vt de ipsis primo loco verba faciam, non hortantur modo, atque inuitant, verum etiam impellere, atque attrahere videntur. sed esto orationis meæ firmißimum quasi quoddam fundamentum, ac veluti basis quædam solidißima rerum dicendarum, & ab hoc, quod dictu mirabile, atq́ insolitum est, sumatur exordium. Tuam scilicet Sanctitatem, opus cum maximè arduum ac difficile aggressa fuerit, id breuißimo temporis spatio, celerrimèque omnibus hominibus

nibus

nibus in admirationem raptis, atq; obstupescentibus perfecisse. Siquidem ita natura comparatum est, et ita vsu venire solet, vt quæ multis, ac magnis circumsæpta sunt difficultatibus, ea non nisi magno labore, diuturnioriq; parentur tempore, vel transigantur: ex quo verè coniecerim, mentis, atq; consilij quandam tibi non dicam præstantiam, sed diuinitatem potius inesse, qui ardua atq; operosa, facilia planaq; reddens, et temporis detrahens longinquitati communem rerum videris immutasse naturam, naturæq; ordinem, atq; institutum superasse. Equidem eam capere vrbem, quæ a potentissimo viro Principe, eodemq; gratiosissimo teneatur, cum annona, tum bellicosis ciuibus affluentem, firmissimis munitam præsidijs, varijs tormentorum, atq; armorum instructam generibus, magnis atq; altissimis mœnibus circundatam, ingentibus fossis, atq; aggeribus circumuallatam, quam nobilis præterea, atq; amplus fluuius magna ex parte cingit, palustrem eius agrum irrigans, munitissimis compluribus refertum castellis; magnum belli exposcit apparatum, præstantem exercitum, ingentes copias, peritissimos duces, fortissimos milites, insignem quandam potentiam, diuturniorem laborum tolerantiam, temporis denique non mediocre spatium: hoc præstare maximum facessit negotium,

vel his, qui potentia, opibus, atq; amicitijs maximè florent, qui magnum in alios habent imperium, qui summam rerum obtinet, quibusq; amica & beneuola obsecundat fortuna. testantur hoc annales: non obscurè indicant historiæ: non desunt perquirentibus multa in præclaris litterarum monumentis huius rei exempla. At tua Beatitudo tanquam ab his legibus, quibus ceteri Principes viri obnoxij sunt, diuinitus facta communis, Ferrariam, Urbem, cum natura, tum artificio comparatis propugnaculis munitissimam, atq; necessarijs ad sustinendam obsidionem, propulsandum impetũ rebus, atq; alijs, quæ supra diximus, munitã & firmatã præsidijs, cum capere, vel potius recuperare sibi proposuisset, quod omnibus quidem difficillimum opus videbatur, eam nullo prope labore, sine exercitu, sine pecunia, qua copiarum veluti nerui continentur, intra paucissimos dies, solo nutu, imperio, atq; auctoritate, omnibus gentibus, totoq; terrarum orbe admirante, cepit, recuperauit, in suam potestatem redegit. quod sanè factum tanto illustrius, tanto praeclarius, tantoq; diuinius est, quanto ab alijs summis Pontificibus maiori tentatum conatu, nunquam tamen ad optatum finem perduci potuit. Tua haec est igitur vera, germana, atq; propria laus: tota haec tibi debetur, cum his, qui ante te Petri nauem gubernarunt,

minimè

minimè communis: vt propterea merito tibi, istique tua tam magna, tamq; insigni gloria ab illis inuidendum sit, quos maximo post te reliquisti interuallo, quosque tam sapienter, tam excellenter, ac tanta cum hominum admiratione vicisti, atq; superasti. Sed vlterius quaeso progrediamur, atq;, si lubet, huius tam ardui magniq; facinoris exploremus honestatem. nam ita fit, Beatissime Pater, vt quae honesta sunt, ea & Deo summo rerum omnium opifici atq; architecto gratiora, atq; iucundiora accidant, & apud sapientissimos viros maiorem laudem atque gloriam mereantur: & cum eidem immortali Deo sint illa sua natura valde consentanea, vtpotè à quo, ceu perenni quodam fonte omne id, quod honestum est, deriuatur, maiori etiam ea is complecti beneuolentia, his fauere, his praesens adesse, prosperoq; successu, ac felici plurimum exitu fineq; ea donare, ornare, atq; decorare consueuit. Quid igitur hoc facto honestius? quid pulchrius dici, aut cogitari potest? quo tua Sanctitas eam recuperauit vrbem, quae ditionis Romanae pars erat, ob cuius alienationem magnam Sedes Apostolica iacturam fecerat, magnum damnum, ingens incommodum per tot annos perpessa fuit. Quid aequius, quid iustius est, quàm qua olim a summis Imperatoribus, ijsq; ma-

ximapietate praeditis atq; religiosissimis Ecclesiae piè relicta fuerant, vel quae ipsi Pontifices magno suo pepererunt labore, atq; industria; postea verò nescio quo fato, vel incuria amissa, rei bene gerendae oblata occasione vendicare? tuam hac de re, Beatissime Pater, sententiam expectamus: hoc tuo iudicio relinquimus statuendum: cuius tanta profecto est ingenij acies, tantumq; mentis acumen atq; perspicacia in grauissimis rebus iudicandis, nunquam vt erres, nunquam vt a vero declines, nihil vt quantumuis maxime intricatum atq; perplexum te transuersum agat, vel agere queat. At iamdiu decreuisti, vel antequam Reipublicae Christianae clauum teneres, quo scilicet tempore Ferrariae Dux, qui non ita pridem diem suum obijt, Gregorium XIIII. Pontificem Maximum interpellans, cum eo serio egit, vt Cæsari Æstensi nepoti suo ex fratre nouationem veteris nominis, vel authoritatis concederet: tunc enim re ad amplissimum Cardinalium Collegium ab eodem reiecta Pontifice, eorumq; sententijs ea de re exquisitis, tu prae ceteris omnibus purpuratis Patribus Ducis licet potentissimi, atq; gratiosissimi intercessisti cupiditati, te accerrimum inter alios ille habuit oppugnatorem, firmissimis rationibus, validissimis, atq; certissimis argumentis dissuasisti, ne quod petebatur

viro

viro Principi concederetur: id enim Sedi Apostolicae cum summo dedecori, tum maximo fore detrimento: salua insuper fide, aut officio indulgeri non posse: in quam sententiam, & ceteri sapientissimi Patres postea frequentes iuerunt, tuam summopere admirati & probitatem, & eloquentiam. Nunc verò singulari Dei Opt. Max. prouidentia ad summum totius orbis terrarum gubernaculum sedens, aequissimam quam iampridem protuleras, sententiam re ipsa comprobasti, mortuo, qui tunc tecum agebat, Ferrariensi Duce, nepoteq; eius ex fratre summis abs te precibus contendente, vt in patrui locum ipsum subrogares. non illius maximae pollicitationes, non melliflua adulatorum verba, non ornatae eloquentium virorum orationes, non fucata Iurisconsultorum responsa, & ad gratiam edita, non ingentes aduocatorum clamores atq; vociferationes, non potentissimorum hominum suasiones, atque preces, non maxima tuorum nepotum prospecta vtilitas te a proposito dimouere, ab honesto, ab officio vnquam abducere potuerunt: vt ideo mirum nemini videri debeat, si laudandarum rerum omnium author, atq; moderator Deus, qui istas tuas tam praeclaras, tam magnificas, tam excelsas, tam honestas, atq; salutares cogitationes iam inde ab omni aeternitate praeuidit, in haec te

tēpora reſeruauerit, laboranti vt ſuæ Eccleſiæ ſuccurreres, eamque ad priſtinum ſuum ſtatum reuocares. nunquam enim, Beatiſsime Pater, conquieuiſti niſi perfecta re, niſi ea, ad quam iure optimo adſpirabas, recuperata vrbe. O miram Pontificis Romani conſtantiam, ſumma cum vitæ integritate cōiunctam. O factum CLEMENTE VIII. ſapientiſsimo, atq; optimo viro, & Pontifice dignū, digniſsimumq;, quod omnium nationum, cunctarum gentium ore atq; linguis celebretur, quod vbique terrarum aureis exculptum litteris cernatur. Iam vero quis eſt tam obcæcato, tamque ſtupido animo, qui non videat, aut intelligat quanta iſtud tuae Sanctitatis honeſtum, atq; eximium facinus vtilitas, quantaq; commoda ſint conſecuta? an non Imperij Romani fines magnopere dilatati ſunt? commerciorum ratio inter Bononiam, & Ferrariam facilior, tutiorq; reddita? nonne ea pontificiæ ditioni addita vrbs, quæ et loci firmitate, & aeris temperatione, & ædium magnificentia, & templorum venuſtate, & platearum amplitudine, atq; elegantia, & vicorum admirabili ſtructura, artificum præterea varietate, atq; multitudine; nobilium virorum frequentia, diuitiarum magnitudine, ſalis, piſcium, et earum rerum omnium, quæ importantur, atque exportantur,

humano

humano vsui deseruientium abundantia, agri fertilitate, fluuij, maris deniq; commoditate, atq; opportunitate communi omnium consensu, et voce compluribus nobilißimis Italiæ Ciuitatibus præstat atq; antecellit? nonne Ecclesiæ Romanæ vectigalia magno pere adaucta atq; amplificata? cuius vero nationis, vel gentis accessio facta? Ferrariensium, qui ingenij, ac mentis acumine, et perspicacitate, nec non armis, litteris, opibus, prudentia, robore corporis, atq; animi fortitudine nulli vnquam nationi concesserunt: quorum virtutis, atq; nominis fama ad extremas vsq; terræ partes peruolauit: ex quibus incredibile est dictu, quot milites bellicosißimi, & generosißimi Duces tibi præsto futuri sint ad tuum maximum Imperium tuendum, ad Petri nauem immanibus et horribilibus agitatam fluctibus atq; procellis è naufragij periculo eripiendam, tanquam quidam peritißimi nautæ; quot insuper iurisconsulti excellẽtis cuiusdam doctrinæ, quot celeberrimi Oratores, quot alij homines rerum vsu præstantißimi, qui consulere, iusq; dicere, qui causas agere, legatorumque obire munera, qui rem tum publicam, tum priuatam administrare, negotijsq; domesticis, atq; alterius generis praeesse egregiè poßint. Isto tuo tam singulari facto, Beatißime Pater, (paucis vt complectar) Vrbem Romanam à cæde, incendio, atq; rapinis, agrum eius

ab exulum, atq; hostium incursione, ac depopulatione, mare verò à Piratarum, & latronum insolentia, atq; tyrannide tutissimum reddidisti: ditio ecclesiastica non solum abs te maximè aucta atq; amplificata; sed etiam in perpetuum firmata atq; stabilita, Sediq; Apostolicae et ipsi summae rerum vniuersæ optimè consultum, atq; prospectum est, Pontificia auctoritate, Ecclesiaq; Religione ab impiorum, & sceleratorum hominum vindicata contemtione. Nam nemo cordatus est, quin fateatur istud tuum frugiferum facinus adeo quoquè praestans, adeo honorificum esse, vt ad illius amplitudinem atque dignitatem nihil addi, adiungique possit. Quis enim illud cum aliorum Summorum Pontificum præclaris factis comparans non iure præferendum esse omnibus existimauerit? Equidem templa vetustate consumpta reficere, vel noua exedificare pium est, palatia extruere, vias sternere, vel ornare, portas erigere, pyramides, et obeliscos in sublime attollere magnificum, lapsam morum disciplinam restituere præclarum atq; sanctum, potentiss. viris resipiscentibus ignoscere ad clementiam pertinet, principum virorum, populorumq; iras, dissidia, atq; discordias sedare, atq; tollere gloriosum, homines ornare dignitatibus, atq; opibus augere laudem meretur beneficentiae: quæ omnia tibi cum illis communia

sunt,

ſunt, quorum & ipſe gloriam vendicas. At iſtud tuum quod ego laudo atq; prædico eximium, ac ſine exemplo facinus à præſtantiſſimo quodam virtutum omnium habitu, qui in te eluceſcit, profectum eſt, in quo tu ſolus excellis, in quo parem neminem habes, quodq; præſtantiſſima quadam, qua, & ipſum magis atq; magis illuſtratur, à te editum ratione conſpicitur. Etenim quae Sanctitas tua ad Ferrariam recuperandam inſtrumenta adhibuit? quibus vſa eſt medijs? num eis, quae ceteri principes viri vſurpare ſolent, auro, exercitu, bellicis tormentis, atq; machinis? num cuniculis, ſuffoßionibus? num ſtratagemate, diſpoſitis in inſidijs militibus? minime. At, Beatiſſime Pater, Duces creaſti, milites conſcripſiſti, bellica inſtrumenta deſtinaſti, Cardinalem Aldobrandinum fratris tui filium, virum cum omnibus animi, corporis, fortunaeq; bonis ornatiſſimum; tum verò præſertim ſapientiſſimum, & fortiſſimum, miraque in tranſigendis negotijs dexteritate praeditum expeditioni praefeciſti: non nego. Verum tu haec omnia egiſti, tuam vt demonſtrares potentiam, harum vt rerum fama, quem leue atq; imperitum vulgus tuum fore hoſtem putabat, illum eminus perterrefaceres, alij vt cognoſcerent tibi ea non deeſſe tum praeſidia, tum ornamenta, quibus principes viri gaudent, quibus non Vrbes ſolum, ſed & Prouincias

non

non oppugnare modo, sed etiam expugnare ad arbitrium tuum posses, quibusq́ multi, qui in eundem quem tu, summum dignitatis gradum adscēderunt, atq́ ij, vel eodē quo tu cohonestati nomine, Turcarū Imperatoris impetum, et ferociā saepe cōpresserūt, multisq́ effrenatis Rebuspublicis, atq́ nationibus veluti frenum atq́ habenas iniecerunt. Num eo fortaße tuum spectabat consilium, scilicet vt conscriptū exercitum Ferrariae admoueres? copias populo Ferrariensi formidabiles ostentares? quod haud necesse eße tanquam e sublimi specula prospexeras: num operis, quod moliebaris, exitus te tuamq́ singularem sapientiam latebat? qui multis Cardinalibus non rarò in priuatis congreßibus asseuerasti, tuo exercitu necdum ad Ferrariensem Ciuitatem aduentante fore vt ea potireris: nihil deinde praeter tuam accidit opinionem: prudens dictum comprobauit euentus.

Quod cum mihi, qui Ticini essem renunciatum esset, eccelsißimae tuae mentis statim suspexi diuinitatem, & cum ex diurna tui frequenti, atq́ eximia cogitatione, vt plaerumq́ vsu venire solet, in somnis tui praesentis iucundißima mihi occurseret imago, teq́ de Ferrariensi Ciuitate grauißimè, atq́ admirabili quadam ratione, et loquentem, et agentem maxima cum animi mei oblectatione audire mihi viderer, illud interim me sollicitum atq́ anxium tenebat,

nebat, quòd rectè dignoscere non possem qui tu esses: vtrum homo humana conditione generatus, sed omnium, qui sunt præstantissimus, & in quo fingendo, atq; ornando natura parens omnem suam vim atq; impetum expressisset, an potius Deus aliquis ad Ecclesiam amplificandam, atq; mortales summis cumulandos beneficijs è cœlo demissus. Quid? susceptum a te opus ad finem perduxisti, consilio, prudentia, auctoritate, atq; his præsertim armorum generibus, quæ sub sensum minimè cadunt, hominumque mentes maximè afficiunt, potentissimis quidem, ac magnopere metuendis. Hæc verò quibus fouebantur rebus atq; fulciebantur? nocturnis vigilijs, pijs lucubrationibus, assiduis templorum visitationibus, ieiunijs, quibus corpus tuũ extenuasti: elargitionibus, quibus inopes recreasti: precibus, quas flagrantissimo quodã animi studio atq; ardore ad Deũ Opt. Max. cum publicè, tum in intimis tuis magnificentissimis ædibus sæpe fudisti: quibus ceu alter Moses in eas illum quasi compulisti angustias, tibi quod è re Ecclesiæ, atq; ornamento foret, præclarè machinanti, manus vt præberet auxiliares: supplicationibus, atq; alijs deniq; sanctissimis functionibus, quas per vrbem, et in vrbe peragendas decreuisti. his artibus, his instrumentis, quæ ceteris omnibus longe praestant, Ferrariae

riae ditionem atque principatum breuißimo tempore es adeptus, omni fugato, atque perdito exercitu, qui ad illam tuendam, atq; propugnandam vel iam accinctus praestoq; eßet, vel aliquando venire atq; accedere posset. quae quidem artes tanto praestantiores sunt, quanto ea laudabilior est victoria, quae sine hominum caede, sine strage, sine sanguinis effusione comparatur, dignißima te, tuoq; & praestantißimo ingenio, & celeberrimo nomini maximè conueniens. Quamobrem verè concludam, tuam Sanctitatem huius facinoris, & magnitudine, & honestate, et vtilitate, et dignitate, mediorumq; praestantia viam sibi ad immortalitatem muniisse aeternamq; felicitatem. reperientur enim innumerabiles propè illius sempiterni precones: quo tu Alexandro Magno felicior iudicaberis, qui solum Homerum egregium Poetam nactus est suarum laudum decantatorem: immò, vt ingenuè fatear, quicunque hac aetate suis scriptis optimè consultum concupierit, suis illud idē facinus versibus atq; paginis complectetur: cum praestantißimis illis scriptoribus, quos superiora secula habuerunt, ad eorum laudum amplitudinem hoc vnum defuiße videatur; quòd in ista tua non inciderint tempora, eorumque libri tanti argumenti, hoc est, tam praeclari tui facinoris dignitate, atq; splendore caruerint. quod

cum

cum ceteris rebus, quae a te magna cum laude gestae sunt collatum, eo illis praestantius videri debet; quòd illae ad vnam, certamq; aliquam pertineant virtutem; hoc verò singularem quandam in animo tuo encyclopœdiam apertissimè arguat: illae te vniuscuiuspiam virtutis appellatione; hoc autem omnium quotquot sunt, simul nomine exornet. simili ratione multis, qui Reip. Christianae summã obtinuerunt, excellentior appares; quòd tu eorum laudum illos egregiè imitatus particeps sis; tuas verò & et illis minimè communicaueris: vt si de illis mentio aliqua in litterarum monumentis reperiatur; futurum quidem sit, ut de te omnes, quae in posterum conscribentur historiae, vel ex instituto loquantur, nullaq; aetas, nullum seculum, nullumue aeuum de istis tuis tam eximijs, tamq; magnis laudibus vnquam conticescat. sed et summus ille bonorum omnium remunerator Deus post longissimum vitae tuae cursum eiusdem facti praestantiam amplissimi cœlestis praemij compensabit, atq; ornabit magnitudine. Ceterum dum tuae Beatitudinis immortales laudes dicendo persequor, nolim tamen fortasse cuipiam videri me aliquid detractum cupere de Caesaris Æstẽsis, qui Ferrariam tenebat, viri principis, atq; Ferrariensium existimatione. nam si quid ille cupidius fecisse videtur, a tua ei ignoscendum est sanctitate;


quia

quia non malitia, sed ignoratione, non auaritia, sed fucato iure, eiusq; specimine, ac falsis ad id adductus est persuasionibus: si ipsi non ita statim, vt debebat, paruerit, fortè excusandus; quia non pontificiæ aucto ritatis contemptione id egerit; sed suarum solum opũ conseruandarum studio, quod omnibus hominibus natura tributum est: non vt Ferrariam diuturna sibi præscriberet tyrannide, sed vt ob accessiones, hoc est, sumptus maximos in ea instauranda, atq; exornãda a suis maioribus factos, meliores, quod æquum videbatur, conditiones à te impetraret: præsidia verò & milites aduocauit, non vt te ciuitatis ingressu prohiberet, vel principatu excluderet, sed vt dum sua cognoscerentur iura, vrbem a finitimorum, hostiumque insidijs, atq; excursione tutam redderet: vir sanè summopere laudandus, qui cum diu se, ciuitatisque possessionem armis tueri posset; tuae tamen Sanctitati sese dediderit, ciuitatem restituerit, pacta, & conditiones tuo arbitrio propositas obierit, rectissimæ tuæ obsecundauerit voluntati, gloriamq; non mediocriter fouerit, ac deniq; ea perfecerit omnia, quæ nobilissimum decent principem, cuius eximia sit erga Deum pietas, atq; religio, singularis in sedem Apostolicam, Romanãq; obseruantia, mores optimi, mensq; omnibus cumulata virtutibus atq; ornata. Ferrarienses verò si re non bene perspecta, et adhuc dubia

Cæsa-

Caesarem Æstensem, Ferrariae Ducem, publicè acclamauerint, & salutauerint, sibiq; dominum adsciuerint in demortui locum, id à tua Beatitudine illis tanquam certi amoris, & erga Principem fidei argumentum condonandum est, a quo, & a cuius maioribus multis, ac magnis se, suosq; liberos beneficijs affectos, atq; auctos esse nouerant, recensq; meminerant: immò si argumentari licet, illud Ferrariensium factum, quod maximam eorum arguit fidem, non obscurè indicat, quales ipsi postea in ecclesiam futuri essent: vt sicut a Caesare Æstensi nisi re planè intellecta atq; cognita distrahi noluerunt, in fide permanentes; ita fore vt cum Romanæ ditioni lubentes seipsos subiecissent, nullo ancipiti euentu fluctuarent, nulla rerum vicissitudine ab ea diuelli sese paterentur: praesertim cum optimè scirent illius gubernaculum tanto Caesaris, ceterorumq; omnium administratione praestantius esse, quanto Ciuitates, Prouinciae, Respublicaeq; illæ, quæ a religiosissimis, ac sapientissimis viris reguntur, alijs feliciores ac beatiores existunt. ciues quidem egregij, de quibus nulla mala opinio imbibi debet, quoniam praestantissimorum, atq; integerrimorum suorum Ducum praeclarissima exempla secuti, inter alios maximè semper pietate, atq; sanctimonia floruerunt. viri certè summis ad cœlum laudibus

efferendi,



efferendi, qui vbi veritatem, quæ tenebris obducta latuerat, in lucem productam, tuæq; Beatitudinis causæ honestatem viderunt, in tuam manum, atq; potestatem nulla interiecta interpositaq; mora supplices conuolarunt, tanto cum animorum gaudio, atq; lætitia, tanta cum exultatione, atq;, vt ita dicam, iubilatione, quanta non modo non dici, vel narrari, sed ne fingi, aut cogitari quidem potest: cuius rei maximas nuperrimè dederunt significationes, in tuo videlicet felicissimo, atq; optatissimo ad eos aduentu: cum tibi venienti ex Ferrariensibus primates obuiam facti, ciuitatisq; clauibus traditis, quod deditionis signum est, te magnificentissimè, ac cum insolito, atq; inaudito quodam apparatu, atque pompa in suam receperunt ciuitatem: cum pueri, cum mulieres, cum reliquus populus procumbentes, tibi tum vrbem ingredienti, tum per eam superbissime exornatam, atq; stratam transeunti elatis certatim vocibus, atque clamoribus felicia, ac fausta quæque precarentur: cum omnes ciues te non solum dominum, sed etiam communem patriæ parentem amantissimis passim salutationibus appellarent, & prædicarent, omnibus interim vicis, rusticis, et vrbanis, cuncta ciuitate, vniuersoq; aere ob ingentem tormentorum fragorem, maximum tubarum sonitum, musicasq; cantiones, atq; instrumenta diuersorum

ſorum generum præ ingenti atq; immenſa quadam laetitia mirum in modum reſonante. Quare Beatiſs. Pater, et rationi, et tuæ ſingulari ſapientiæ, atq; clementiæ maximè conſentaneum eſt, vt erga Cæſ. Æſtenſem beneuolo ſis animo, potentiß. tuo eũ quaſi numine ſuſtẽtes, rebus omnibus tuearis, atq; ornes: qui ſummam ſuam iam in accipiendis tuis mandatis obedientiam, et pietatem planè oſtendit: qui ſi hìc adeſſet, ante tuos ſanctiſsimos pedes ſuppliciter proſtratus, in eum fore modum te alloqueretur, quo Tarſis ille Indiarum Rex Alexandro Magno occurrens, illum eſt adortus. Tuam ego Sanctitatem non ad bellum, neq; ad pugnam, ſed ad aliud certaminis genus, in quo officijs et clementia pugnatur: quæ tibi propriae a Deo Opt. Max. naturaq; ipſa tributae & conceſſae virtutes ſunt, prouoco atque laceſſo: Ferrariam ſibi capeſſat, quam ei non inuitus reſtituo, magno quaſi a me donata beneficio, eaq; in perpetuum feliciſsime fruatur: mea, meorumq; præterea opera, ſi placet, vtatur, quam ei benigne pollicor, nec non his, quæ mihi ſuperſunt opibus, totoq; meo principatu, quem ei humillimè do, dico, atq; trado, & cum me ſuperior, atq; omnium maxima ſit, mihi benefacito: quibus verbis tua Beatitudo compulſa, ipſi Cæſari, vt olim Alexander Tarſi, ita egregiè reſponderet. Certandum eſt nobis vter beneficiorum

ficiorum magnitudine alterum superet: tu securo atq; tranquillo animo ijs bonis fruere, quæ cum tibi iure eripere posse uidear, liberalissimè, atq; humanissimè relinquo, summis vt hinc a me cumulatus officijs discedas: & quae ornamenta, atq; præsidia exoptas, ea te a me consecuturum esse sperato, atq; confidito. Sed neq; minus aequum, atq; honestum est, & ad easdem illas tuas præclaras pertinet virtutes, Ferrarienses singulari beneuolentia complecti, maximum eorum amare amorem, eisq; respondere in amore, in tuam clientelam atq; patrocinium receptos, honoribus, dignitatibus, atq; commodis augere, eosq; oībus in rebus ita tractare, vt summū eorum in te studium, atq; fides exposcere videtur. nam tuae Sanctitati persuasū esse debet, tales illos erga te, atq; Ecclesiā perpetuò futuros, quales adeò princeps ille expertus, et confessus est, qui eos ad imperium atq; nutum alacres semper, & ad subeunda vitae discrimina pro sui domini salute vidit expeditos, et intrepidos. Verum cur ad hoc tuam Beatitudinem hortor, cum te tua sponte satis ad id incitatum, atq; inflammatum esse cognoscam? Quorsum .n. huc Roma properans animo venisti laeto, & ad miserendum, succurrendumq; alacri, maximis omnibus, tum aetatis, tum itineris superatis difficultatibus, nisi præsentia ut tua Ferrarienses magis illustrares, recreares, atq; ornares?

res? Quid narrem sanctißimas illas leges Lygurgi, Solonis, atq; Numæ sanctionibus præstãtiores, quas es daturus? ad quarũ præscriptum viuentes Ferrarienses, sanctã et ad veram beatitudinem ducentẽ ingredientur semitã: et quæ officij vincula, et illorũ omnium virtutis, atq; fidei custodes erunt. quid magistratus commemorem? quos eorum ciuitati tales præficies, quales in Republica bene constituta, ac felici esse conuenit, quorum integritate, consilio, fide, atq; sapientia cuncta regantur, atq; administrẽtur. quid deniq; totam gubernandi rationem præscribẽdã explicem? quæ adeo præstans erit, vt difficillimũ sit iudicare, vtrum tua Sanctitas illam ex Platonis libris hauserit, an a Deo potius traditã acceperit. qua inita Ferrariensis ciuitas felix omnino efficietur; vtpotè quæ bonis abundabit omnibus, in qua ciues conspicientur compositi ad iustitiam, temperantiã, atq; fortitudinẽ. prætereà liberi, prudentes, diuites, sani, nullisq; factionibus, atq; inimicitijs distracti: vt iure optimo oĩbus videri poßit, singulari tua opera, atq; studio perfectum iri, vt aurea illa secula Ferrariensibus redeant. Quare si ex hoc ornatißimo loco altiori voce ipsis significauero, tuæ Sanctitati se tantum debere, quantum vlla vnquam Ciuitas suo, vel conditori, vel amplificatori, vel principi de ipsa optimè merito debere posse videatur, non vtique mentiar.

nam

nam tua Beatitudo eo consilio, atque animo ad eos accessit, illos vt his cumularet, atque ornaret beneficijs, in quibus tota summa maximarum laudum pietatis, religionis, liberalitatis, magnificentiæ, atq; clementiæ posita est: ita vt quamuis ipsi Ferrarienses tuæ Sanctitati statuas erexerint, domos suas tuis, tum insignibus, tum imaginibus exornauerint, annuos etiam ludos in felicissimi illius diei, quo ipsorũ vrbem ingressus, sereniss. tuo vultu beasti, memoriã decreuerint, omnia tua, & acta, & res gestas in annales elegantissimè retulerint, teq; summa laude, gloria, atq; honore, eaq; suauissima affecerint, atq; perfuderint voluptate, qua, vt veteres sapientissimi docent, nulla ad Deorum immortalium naturam propius accedit; non parem tamen pro illis gratiam retulisse videantur. At in immensum excrescit oratio: iam mihi videre videor tuam Beatitudinem, uosq; patres amplissimos quasi audiendo defatigatos, mihi, qui adhuc multa quidem dixi, sed & plura habeo dicere, finem loquendi præcipere, & exultantem, atq; velocissimè excurrentem meam rafrenare orationem. quorum vt nutibus paream, rectissimisq; obsequar voluntatibus, illius impetum, atq; vehementiam, meq; adhuc plura dicere cupientem, reprimam, nec longius insequar. Quapropter quod reliquum est, te, Beatiss. Pater, etiam atq; etiam

oro,

oro, rogo, obsecro, atq; obtestor, vt mihi ad sanctissimos tuos pedes suppliciter aduoluto ignoscas, quòd orando assequi non potuerim, immortales vt tuas laudes pro dignitate celebrasse videar. nam quòd in hūc amplissimum, atq; ornatissimum locum de illis dicturus adscenderim, summæ meæ in te obseruantiæ adscribendum: quòd verò id, quod exoptabam, aggressusq; sum, minimè perfecerim, illarum laudum magnitudini, atq; immensitati attribuendum est: illarū, inquam, tam ardui tui facinoris, quo Ferrariam, nobilissimam Italiæ urbem, recuperasti, tam honesti, tam vtilis, tam honorifici, ac tam insigni ratione, vt nihil supra, editi atq; confecti: quibus et Cæsar Æstensis tui obseruantissimus, et Ferrarienses tui studiosissimi, atq; obsequentissimi non parum fauerunt, pluribus propterea abs te in posterum deuinciendi, atq; decorandi beneficijs. siquidem ista tua tā præclara, tā eximia, atq; egregia laudes sua hoc præstātia, atq; celsitudine efficiunt, vt non nisi diuina quapiā, vel incredibili tua ornari eloquētia queant, neq; cuiuspiam, te uno excepto, mortalis eleganti, et apposita ad rei pondus oratione, aut verborū splendore, et sententiarum grauitate elucētibus scriptis illustrari; sed muto duntaxat silētio, et magna atq; ingenti admiratione exprimi, prædicariq; possint atq; valeant.

Laus Deo, & B. V. semper.

AD PERILLVSTREM

PHILIBERTVM BELCREDIVM,

V. S. Referendarium.

NICOLAI SALICETI SEQVANI

ΕΞΑ΄ΣΤΙΧΟΝ.

EMicat, Oceano dum prosilit æquore, Titan
Per maria, & terras, luce micante volans.
Ticino at surgit Phœbo iste illustrior amne
Belcredius; magni qui monumenta refert
CLEMENTIS; nomenq; suum sic sydera celsa
Exuperat, geminis famaq; nota Polis.

AD EVNDEM.

ROBERTI Strachani Schoti Elogium.

QVIS vates potis est, dicito BELCREDI,
Te versu, ac meritis tollere laudibus:
Blandæ Sicelides cum nequeant Deæ,
Cunctos quæ superant tono?
Mirari satis est mundigenis tuas
Virtutes; procul at esto imitarier.
Longè sufficiat cernere tramitem,
Quem tu difficilem teris.
Vos ergo, quibus est virtus amabilis,
Et vos ò, Latices qui bibitis sacros
Musarum, statuas condite eburneas,
Ferte & BELCREDIO nouas.